



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

3. Vnde veniat origo vocabuli servorum, & manicipiorum? Ex p. 7. tr. 7. r.  
3.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76429](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76429)



homines æquales nasci, vivere, & mori voluerit dicitur, leg. quod attinet, 32 ff. de Reg. iur.

RESOL. III.

Vnde veniat origo vocabuli Seruorum, & Mancipiorum? Ex p. 7. tr. 7. Res. 3.

§. 1. Respondeo quod iure gentium introductum est, ut capti in bello efficerentur capientium, §. 2. vers. ius autem gentium supra tit. proximo, §. seruis autem, aut nascuntur, 4. infra hoc tit. §. item ea, que ex hostibus, 17. infra, de ver. diuis. 1. adeo 7. in princ. ff. de acquir. rer. dom. Quia verò multi desuebant in captiuos, eo que iure belli necabant crudeliter; prohibitum id fuit, constitutumque, ut potius venderentur, ac per hoc seruarentur, quam occiderentur, per hunc §. notat: ubi Iustinianus, (post Florentinum Iureconsultum, in l. libertas 4. §. 1. ff. de stat. hom. & Pomponium in l. pupillus, 2. §. 9. §. 1. ff. de verb. signif.) discretè statuit: seruos esse appellatos esse, quod Imperatores (hoc est, vt Theophilus rectè explicat, à τῶν πολεμίων ἰσχυροῦς, belli duces) captiuos vendere, adeoque seruare solent. Vnde & August. lib. 19. de ciuit. Dei, Origo (inquit) vocabuli seruorum, in lingua latina, inde creditur ducta, quòd hi, qui iure belli possent occidi, à victoribus seruabantur. Quòd pertinet quoque versus Horatij, lib. 1. ad Quintium.

Vendere cum possis captiuum, occidere noli: Seruier uiliter, sine pascat durus, arctique: Nauiget ac medijs hyeme mercator in undis, Annona proficit, porret frumenta penusque.

Sed & Agefilus Lacedæmoniorum Dux, sapius pro concione milites suos admonuisse perhibetur, ne captiuos, ut facinorosos cruciarent, sed ut homines seruarent. Plutarch in compar. Agid. & Cleomen. Meritò itaque interpretes plerique seruos à seruando, non à seruando denominatos esse censent. Vide Iochimum Myningerium in Instit. lib. 1. tit. de ingenuis, §. serui autem.

2. Serui verò mancipia propterea dicuntur, quia manu à victoribus capiuntur. Et idèd Iustinianus in Instit. de iure personarum §. 3. sic ait: Serui autem ex eo appellati sunt, quod Imperatores captiuos vendere, ac per hoc seruare nec occidere solent; qui autè mancipia dicitur, eo quòd ab hostibus manu capiuntur. Et hoc etiam asserit in l. libertas, §. 1. ff. eod. tit. Hinc Varro; Mancipiū, inquit, à manu, quòd manu capitur: hoc est, res omnes, quæ manu capiendò acquiruntur, mancipia dicta sunt, referente Hotomano hic enuntiat. 9. Sanè apud Latinos mancipium dicitur certi domini comparatio: perpetuūque ius possidendi, teste Balduino hic in fine, Vide eleganter Lucret.

Vitæque mancipio nulli datur, omnibus vsu.

RESOL. IV.

Quamnam potestatem habeant Domini in seruis? Et an liceat Domino seruum suum pro arbitrio quasi pecudem occidere? Et adducitur eandem olim fuisse Patrum quoque in filios familias potestatem. Ex p. 7. tr. 7. Res. 4.

§. 1. Certum est esse in potestate Dominorum seruos. Et hæc potestas rectè definitur, ius quod Dominus habet in seruis; Et in omni suo effectu eadem est cum dominio, quod dominus habet in rebus suis; ita ut quod dominium est in rebus cæteris, id sit potestas dominica in seruis. Nam cum de seruis agitur, Tom. VII.

potestatis appellatione dominium significatur, l. potestatis, 21 §. ff. de verb. signif. Vt citius hic num. 1. Per Dominum verò intelligimus non solum eum, qui verè dominus, id est proprietarius est: sed et fructuarium etiam, & bonæ fidei possessorem, §. de iis autem seruis, 4. ubi Myninget, infra, per quas personas cuique acquirit, l. acquiritur 10. §. de his autem ff. de acquir. rer. dom. Stuck par. 1. Exercij. Iustin. de cad. 2. assert. 1. lit. B. Quemadmodum porò ius gentium seruitutem: ita & hæc potestatem dominicam introduxit, §. sed ius quidem 2. vers. ius autem gentium supra, de libertis. l. manumissiones, 4. & l. ex hoc iure §. ff. de inst. & iur.

2. Cæterum effectus huius potestatis præcipuè est duplex: prior est, quod dominus in seruis vitæ necque potestatem habeat, hoc §. & l. 1. ff. hoc tit. Senec. l. 3. de benef. cap. 23. Cum enim iuxta quilibet rei moderator sit & arbitet, l. in re mandata 21. C. mandat. & seruis sit in domini potestate ac dominio: consequens est, ut non minus liceat domino seruum suum pro arbitrio quam pecudem occidere. Si quidem & hæc de causa serui quadrupè ab eis comparantur, l. 2. ff. ad l. Aquil. Nec mouerit si obicitur, eandem olim fuisse patrum quoque in filiis familias potestatem, l. si in suis, 11 in fine ff. de lib. & posth. vit. C. de patr. potest. & tamen non fuisse filios familias in dominio patrum, d. l. potestatis, 21 §. de verb. signif. Et enim respondetur: eandem fuisse hæc in parte dominorum & parentum in seruis filiosque familias potestatem, sed non eodem iure, neque ex eadem ratione: quoad dominos enim, nihil fuit, quod tantam eis in seruos potestatem dare potuerit, nisi quod seruos in dominio suo, peninde ac aliam rem quamlibet uilissimam, haberent: ut paulò ante dictum. Quoad patres verò: fuit ius patriæ potestatis, cuius tanta vis, & auctoritas esse debere uia est, ut nec prohiberentur patres vitam adimere iis, quibus dedissent. Vnde illud etiam erat: quòd patres liberis in potestate constitutis non poterant eripere libertatem quippe quam non tam à parentibus quam à natura haberent, d. l. vit. C. de patr. potest. At emanapatis etiam non minus, quam in potestate retentis, vitam à patribus datam fuisse uerum erat, vitam tamen illis hi adimere non poterant: quia sublato per emancipationem iure patriæ potestatis, emancipati hæc parte ne pro liberis quidem, sed potius pro extraneis habebantur, ut pulchre explicat Antonius Faber, tom. 1. Iurisprud. Papin. tit. 7. princ. 3. illat. 1. pag. 285. Enimvero id hæc potestas dominica hodie ex constitutione Diui Pij Antonini valde diminuta & coarctata est. Licet enim illa olim fuerit summa, hoc est, licet dominus potuerit seruum suum sine causa impune occidere, uerberare, violare, ut supra expositum: attamen hodie sine causa legibus cognita, non potest. Et hæc omnia docet Iustinianus in Instit. lib. 1. tit. de his qui sui, uel alieni iuris sunt: quæ quidem olim procedebant de iure ciuili, nam de iure naturæ contrarium dicendum, cum homicidium sit intrinsecè malum.

RESOL. V.

Quibus modis quis efficiatur seruus, & primo an iure belli? Et an fas sit Christianis, qui bellum iustum cum Christianis gerunt, Christianos bello captos detinere non ut seruos, sed ut ab illis, dum detinentur, sint securi, & tui, & ut pecuniam aliquam iustam, & moderatam pro eorum libertate & dimissione accipiant? Ex p. 7. tr. 7. Res. 5.

Sup. hoc infra lege doctrinâ Res. 37. per totum, signanter ante medium, §. 1. à vers. lateor. & in alio §. not. 2. dicta Res.

Sup. hoc in Res. not. præterita.

§. 1. Respon